

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Dialogus tertius de legibus, vel, de legumlatione

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

Tota chorea & chorea pars.

perficiemusne? an pratermittemus? CL. Quidnam dicis partes, & quo partiris utrasque? ATH. Tota quippe chorea vniuersa nobis dicta est disciplina, chorea vero pars vna in voce est per numeros & concentus. CL. Ita est. ATHEN. Altera in corporis motu per numerum atque figuram. Sed numerum quidem habet cum motu vocis communem, figuram vero propriam. In prima autem illa parte cantus ipso vocis est motus. CL. Vera narras. ATH. Sed vocis quidem habitum, qui ad disciplinam virtutis animi peruenit. nescio quo modo musicam nominauimus. CL. Recte admodum. ATH. Si autem corporis motus in ludo quem saltationem appellauimus, ad corporis usque virtutem attingit, artificiosam hanc ad id ipsius deductionem gymnasticam nominemus. CL. Rectissime. ATH. De musica quidem, quam mediam chorea partem diximus, satis actum putauimus, atque ita de ea sit dictum. Quare de reliqua iam dicamus, vel quid agendum? CL. O vir optime, qui cum Cretensibus & Lacedaemonijs differis, quando iam satis tractatum de musica est, sed de gymnastica haecenus minime, quidnam responsurum tibi ad interrogationem huiusmodi vtrius nostrum existimas. ATH. Affirmabo equidem te, cum haec interrogaueris, aperte iam respondiisse. Intellego. n. quod haec tua interrogatio responsio quadam est, ut dixi, ac iustus simul, ut transigantur quae ad gymnasticam pertinent. CL. Optime intellexisti, & sic facias. ATH. Faciendum est, neque. n. difficile est, quae vobis vtriusque notissima sunt, transigere. Nempe huius artis vtriusque multo magis quam illius periti estis. CL. Vera ferme dicis. ATHEN. Nonne huius quoque ludi principium est? quia vnumquodque animal natura saltare consuevit. Homo autem, ut tetigimus, cum numeri sensum acceperit, saltationem perperit. Cantus item numerum excitat. Quae ambo inuicem copulata choream & ludum perpererunt. CL. Ita est. ATHEN. Huius partem alteram iam peregrinamus, alteram deinceps aggrediemur. CLIN. Profus. ATH. Sermonem igitur de ebrietatis chorea primum hac, si placet, sententia concludamus. CLIN. Quoniam pacto? ATH. Si ciuitas aliqua tanquam re seria computationibus & cum legum ordine utatur, exercitationis cuiusdam ad temperantiam gratia, & alias voluptates non fugiat, sed eadem ratione ut ipsas superet, exercitetur, hoc vtriusque pacto omnibus his utendum. Sin vero tanquam ludo utatur computationibus ciuitas, et liceat cuique quando velit & quibuscumque velit comibere, & alia quae pro libidine exercere, non essent huius sententia, quod deceat ciuitatem istam, aut hunc virum ebrietati aliquando indulgere. Sed multo magis quam Cretensium Lacedaemoniorumque usum Carthaginensium legem probarem, ut nunquam in castris quisquam gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur, et in ciuitate nunquam vini usum seruo vel serua concedere, sed nec magistratibus toto eo tempore quo magistratu funguntur. Gubernatores etiam atque iudices munus suum subituros a vino penitus prohiberem. Deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. Ac nulli penitus interdum vinum concederem, nisi exercitationis corporea morborumque causa hoc potu opus fuerit, neque etiam nocte viro vel mulieri quando liberis operam dare voluit. Plura etiam referri possent, in quibus homines legis recte

mentisque compotes vino abstinere. Quapropter secundum hanc rationem, nec multis ciuitati vineis opus esset. At qui & reliqua agricultura, omnisque viuendi norma ordinem suum teneret, ac vini usus ferme omnium moderatissimus & parcissimus esset. Hic itaque sermone de vino hostites, si vobis quoque videtur, colophon impositus sit. CL. Probe dictum. Quare & nobis ita videtur.

## DIALOGVS TERTIVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVM-LATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENT.



VE MADMODVM medicus sanitatem corporis, ita legum autor spectat animi sanitatem. Quoniam vero omnibus optabilis est valetudinem prosperam retinere ne pereat, quam recipere pereuntem, idcirco praecipuum vtriusque tam ciuili, quam medici institutum est, seruare siue corporis siue animi sanitatem.

sequens vero vtriusque consilium esse videtur optimum, siue corpori, siue animo habitum, si quando amissus fuerit, restituere. Quare obrem & apud Platonem & apud veritatem scriptores illi legum commendati censentur, qui subito qua censura scelera perpetrata sunt puniendae, decernunt: Quae vero ratione homines ita oriantur, nutriantur, erudiantur, ut scelera perpetrare nolint, non praesident. Nemo igitur admiretur Platonem nostrum firmissime sanitatis animi studiosum, tam in libris Legum quam de Reipublica diu per multa quae videntur leuia, & ad educandos pueros adolescentesque pertinent, accuratus diuersari. Sic enim decet diligentissimum animorum medicum facere. eosque statim natos ita componere, ut vel quasi vna cum firma sanitate geniti videantur, vel saltem etate adulescente, sanitas animi pariter coalescat. Hinc itaque praecedens illa libri Legum primi secundique diligentia in omni musicae ludi que genere atque conuiuio. Dum enim de autoris legum officio disputat, praecipuum eius, id est, circa pueros, & adolescentes studium, ante omnia indicat declarandum. Vbi meminisse te volo, quanta cautione ad potum vini iudicauerit accedendum, ut non liceat quotidie bibere, neque culibet, neque ad cuiusque libidinem, sed in solemnibus dumtaxat conuiuio, & tunc quidem viris & moderate, raro vero merum, sub arbitro tamen & iudice. Alioqui memineris & quantum probet, ut non liceat in castris militibus gustare vinum, neque in ciuitate seruis, neque magistratibus, neque gubernatoribus & iudicibus ipso iudicii tempore, neque viris mox de rebus magnis deliberaturis, postremo neque viro vel mulieri ea hora qua liberis operam dare constituunt. Haec operae praecipuum fuerit diligenter commemorasse. Pergamus iam ad proprium libri tertij argumentum. Cum igitur lex ipsa ciuitatis. i. discipline ciuili formam sit, ciuitatis autem forma sit ciuitatis, haud ab re de legibus tractaturus multa de ciuitatis ciuilitatisque initio disputat. Ambigit autem virum genus humanum siue rit ab eterno necne, similiterque de mundo. Et quod alicubi tempus nominat infinitum, haudquaquam sine principio proprie atque sine significat, sed nostris potius computationibus infinitum: ideoque dicit sepe tempus inestimabile potius quam immensum. Atque & in sexto similiter ambigens sententiam ita disjungit. Hominum generatio aut nunquam incepit, aut inestimabili ante nos temporis longitudine coepit. Inestimabile vero forsitan dicit, si quis non solum annos solares, sed etiam lunares, & dies & horas numerare contenderit. Satis autem Christiano fuerit philosophum mundi aeternitatem non affirmasse. Sed quidnam de mille annorum millibus his Moysi dicit? Fortasse Platonem Aegyptiorum more breuifilos annos computauisse. At vero & de his, & de mundi illuionibus opportunius agitur in Timeo. Nam vero ad ipsam materiam legum. i. ciuitatem ciuilitatemque reuertamur. Quattuor ciuilitatis figurae praecipue numerantur. Prima quidem statim post generis humani calamitatem in superstitie quodam eius semine seruato, vel altissimorum montium beneficio, vel diuina potius prouidentia. Tunc. n. probabile est filios nepotesque patrisfamilias imperio paruisse. Quod quidem imperium sola constat lege naturae. Secunda figura inter familias plures iam inter se vel oppido, vel vello quoddam

simili congregatas, congregatas inquam tum indigentia mutua, tum metu ferarum. Sed ab ipso cœtus huius exordio verisimile est tot gubernandi formas, quot & domicilia exitisse, opinionibus inter se moribusq; longe diuersas. Ob quam diuersitatem mutuis sub ortis iniurijs coacti sunt cœmunes quosdam arbitros & iudices rectoresq; constituere. Vnde tertia iam orta est, ciuili disciplina. figura, a precedente videlicet iniustitia ducens originem. Probabile vero est eiusmodi rectores vrbes, cœmunes præscripsisse ciuitati leges, postquam honestissimas quasque dimiciliorum leges considerauerit, per casus rei familiaris disciplinam ad disciplinam Reipub. transtulerunt. Quarta denique figura est, in quodam gentium regno: vbi plures inter se vrbes in eandem voluntatem cœmunemq; legem ita conueniunt, quemadmodum in vrbe vnâ familia plures. Prima quidem figura extra vrbes est, per leges singulas, natura, ratione, voluntate consistens. Secunda vero iam in vrbe, sed per singulas adhuc domiciliorum leges, indigentia quadam metuq; congregata. Tertia in ciuitate per leges iam cœmunes, occasione iniustitiæ, iustitiam colens. Quarta ex pluribus ciuitatibus per eandem voluntatem legemq; similem congregatur. Inter hæc admonentur poetæ ad canenda diuina: Vbi dicitur poetarum genus diuinum esse, agiq; deo. Admonentur quoq; autores legum, vt neq; arduas neque violentas ferant leges, sed leues, quoad fieri potest atque suaues. Præterea exemplo quodam historico, principale profectur de sputationis huius consilium, de præcipua condendarum legum & optima ratione. Quæ quidem hinc maxime sumit exordium, si auctor in his ferendis vniuersam quidem ciuium virtutem spectet, maxime vero maximam omnium atq; ducem. Nemo vero dubitat virtutes alias à prudentia tanquam inferiora membra à capite duci. Hanc vtique tam necessariam nobis esse quam nobilem, ex eo constat, quod oēs communi voto id optant in primis, vt humana omnia pro sui desiderio succedant atque gerantur: cuius ad votum cū cœta succedunt, beatissimum fore omnium arbitrantur. Plato vero contra infert, miserissimum fore illum cuius cupiditates quotidie sequantur euentus, nisi tanta sit prudentia præditus, tantaq; per prudentiam animum moderatione regat, vt vera discernat bona, & quæ ratione seruent neglectis alijs appetat. In his admonet non esse optandum vel orandum vt omnia cupiditatem nostram sequantur, imò vt cupiditas roneum. Tangit & congruam filij ad patrem, patris ad deum comparisonem. Cupit certe & precatur sibi puer enere quam plurima quasi bona, quæ pater interea ne accidant deprecatur tanquam mala. Similiter vana & noxia vota hominum celestis pater quotidie detestatur. Neque refugium ad euitanda salacia vota illum nobis est, excepta prudentia. Huic ergo per ciuium animos propaganda legis in primis incumbet publica studens felicitati. Tanta enim prudentiæ perfectio est, vt & optanda doceat exoptare atque cõparare, & comparatis ea potissimum vt ratione qua proficit. In his aut felicitas ciuitatis tota consistit. Quemadmodum vero ciuitatem seruat prudentia, ita destruit imprudentia, quam nominat ignorantiam. Non ignorantiam inquam vel literarum proprie vel artis cuiusdam vel exteriorum quorundam à nobis aliorum, sed ignorantiam boni, vt alibi sepe dicit atque hic significat. Sed addit eam esse & priuatim & publice perniciosissimam ignorantiam, per quam quis nesciat ita suum animum temperare, vt rationis suæ tanquam reginæ legibus sensus quasi populus legitime eductus obediat: adeo vt non alia prosequatur & fugiat, nec alijs aliterue gaudeat atque doleat quam rone instituta præscribant. Quicunque ignorantia eiusmodi occantur, etiam si ingeniosissimi atque literatissimi sint, ignorantes à Platone censentur. Qui vero temperati sunt, prudentes ab eo iudicantur atque scientes, etiam si literas nesciant. Prohibet deinde magistratum illi tribui gubernandum qui propter incontinentiam gubernare se nesciat. Neque confidit ciuitatem sub eo recte feliciterq; componi, in cuius animo ciuitas quædam est incomposita simul & misera. Quamuis aut septem nune ret demceps rationes quæ ad dignitatem imperandi conducere apud plurimos iudicantur, scilicet, Paternitas, Nobilitas, Dominatio, Potentia, Senectus, Prudentia, Sors, tamen vnicam ipse præceteris eligit. Prudentiam, dicens hanc esse propriam dignitatis imperatorie roneum, scilicet, vt prudentiores vbiq; imperent, imprudentiores obtineant. Quemadmodum & oculorum officium est ducere, pedum vero minusserium pergere. Item sicut in qualibet arte præsertim nauigatoria & militari & medicina, eius quidem qui plus intelligit, est præcipere, eius vero qui minus ea in re cognoscit, est exequi: ita & in arte ciuili, partim vniuersaliq; partim familiaris, partim ciuitatis gubernatrice, illi apprimè oēs parere debent, qui præ ceteris quid potissimum humani salutis cõducatur intelligit, Lex ergo cœm optans prudentiam, prouidebit, vt præter puerilem eruditionem ad prudentiam conferentem; muneru quoq; publicorum gra-

dius pro ipsius prudentiæ gradibus vbiq; distribuantur. Ac ne imprudenter horu gubernacula cõmittantur, sanciet ne mera & inges imperandi autoritas cõcedatur: sed oēs quidem subijcet legibus, reges aut cùm senatu coniunget, senatum cùm consilio populari. Cauebit in primis ne unquã superba lasciuia cupiens plus posse quam leges, dissensionem pariat & ruinam. Studebit ut totu ciuitatis corpus quoad fieri pot liberum sit, prudens & amicum. Liberum quidẽ, ut possit quilibet patriæ suæ cõsulere: prudens aut ut sciat: amicu rursus ut velit. Memnerit tria hæc in ea ciuitate facilius conuenire, quæ inter unius ac populi potentia obtinet medium, ut neq; unius se totam subdat imperatis arbitrio vel potentia paucoru, neq; quemlibet absq; delectu recipiat consultorem: sed plurimũ quidem optimatum cõstet gubernatione, nõnihil quoq; habeat regu, nõnihil insuper popularis. Circũspiciet mores fortunatq; principiu, quo perspicat ciuitatis regnorumq; exitu maxime omnium ex delitioso luxuriosq; adolescentiu virorumq; vitu procedere. Quippe cùm nemo ex hmoi uita virtute præstans euadere possit, sed æger necessario fiat, fragilis, & inflatus, et cæcus. Mandabit propterea temperantiam ab oibus maxime coli, sanciens eos potissimu honorari, qui temperatissimi oium iudicio cõprobentur. Neq; patietur fortitudinem ab illo absq; temperantia possideri, quasi re ciuitati valde periculosam. Quin imò neque multaru rerum peritiam absq; iustitia tanquã grauer nocitaram. Summatim vero in primo honoris gradu, dotes aumi, si cùm temperantia mixta fuerint, collocabit, his corporis subijcet bona, bonis corporis simul et animi externa seruire mādabit. Prohibebit quoque nimiam libertate, vetabit et nimia seruitutem. Nā nimia quidẽ seruitus amicitia. et benevolentiam populi erga principẽ, & charitate erga patriam e medio tollit, adeo tollit vt leui de causa vel principis, vel patriæ pereat. Libertas uerò nimia lasciuiam primo parit, deinde contemptu legum, post hæc frequentes seditiones, & extremã denique seruitutem. Nemo vero miretur Platonem & hic, & sepe alibi ludos, siue potius studia musica magni facere, quasi ad permutandos in vtranq; partem mores tam publice quam priuatim possint quam plurimũ. Nam ea tempestate & familiare oibus & palam frequentissimum erat huiusmodi studium: quod aut ab omnibus sit atque continuẽ, non minorem ferme in aium vim habet quam aer in corpus. Præterea quæ apud medicos parũ cautos habentur leuia, apud Platonẽ obseruantissimum humani generis medicu haud contemenda censentur. Descendit post hæc ad superiorum epilogu. In quo epilogo posset quicquã clausulam illã, Si verò quicquã, et quæ sequitur, ita forsitan legeres, An verò quicquã contulerimus necne? Quis redarguet? Cũ inter nos omnia dicta fuerint. Sed ista tu videris.



**H**ÆC quidem ita se habeant. Ciuilis aut disciplina initium quodnam fuisse dicemus? An non hinc facile me ipsum quis optimeq; inspiciet. CL. Vnde nam? ATH. Vnde ciuitatam quoq; incrementum & ad virtutem & ad vitium licet inspicere? CL. Vnde dicis? ATHEN. Reor equidem à longitudine infinitateq; temporis, rerumq; in eomutationibus. CL. Quo pacto id ais? ATH. Agedit, si habes, ex quo vrbes ciuilesq; hominum institutiones cœperunt, quanta temporis præcesserit, multitudo. CL. Nequaquã id facile. ATH. Infinitum vtiq; hoc & impossibile cogitatu. CL. Sic est omnino. ATH. Nonne innumera in hoc tempore conditæ sunt ciuitates, totidemq; destructæ, quæ omni ciuili vitæ conditione passim vta sit, factæq; modo maiores è minoribus, modo minores e maioribus, peiores quoq; ex melioribus, & contra, ex peioribus meliores? CL. Necessarium id quidem est. ATH. Huius igitur mutationis causam excogitemus, si possumus. Fortassis. n. primã vitæ ciuili causam mutationemq; nobis ostendet. CL. Probe loqueris. Quare et te oportet quid hac de re sentias diligenter exponere: & nos attente auscultare. ATH. Num igitur prisca sermone ueritatem aliquam habere uideatur? CL. Quinã? ATH. Multos videlicet hominu interitus ex diluuis, morbis, alijsq; pestibus olim accidisse, ex quibus pauci homines superstites fuerit. CLIN. Valde id cuiq;

Initiu ciuili disciplinæ.

Verisimile . ATH. Age iam de multis vnum hoc exitiū quod illuione factum est perspiciamus . CL. Quid in hoc cogitare nos iubet? ATH. Nempe eos qui cladem tunc euaferunt , montanos quosdam & pastores fuisse , in montium cacuminibus pauca semina ad propagandum genus hominum conseruata . CL. Patet . ATH. Atqui necesse est eos & aliarum artium fuisse expertes , & auaritia contentionisq; studia inter ciues , ceterasq; aduersus alios astutias ignorasse . CL. Consentaneum id quidem . ATH. Ponamus etiam campestris , & maritimas vrbes subito illo tempore periisse . CL. Ponamus . ATH. Instrumenta igitur omnia & quaecunq; artium siue ad disciplinam civilem , siue ad facultatem aliam pertinentium , extabant inuenta , concidisse illis temporibus asseremus . Quo enim , o vir optime , si hac in sempiternum ita se ut modo habetia permanissent , nouū quicquam alicui esset inuentum? CL. Nempe quia innumerabilis quaedam multitudo annorum ignorabatur ab illis . Mille autem anni vel duo milia intercessere ex quo quicquā dicitur , partim Dada lo , partim Orpheo , partim Palamedi inuentum . Sicut quae ad musicam pertinent , Marsya , & Olympo : quae ad lyram , Amphioni attribuntur : aliaq; alijs multa , ut ita dicam , heri & nudius tertius adinuenta . ATH. Vidésne , Clinia , praetermissum abs te esse amicum , qui Verē heri fuit? CL. An Epimeniden dicis? ATH. Hūc equidem . Longe enim hic nouarum rerum excogitatione omnibus apud vos excelluit , o amice . Quod sanē verbis olim Hesiodus diuinavit , re autem Epimenides ipse perfecit , ut vos asseritis . CL. Asserimus planē . ATH. Ex ea vtrique deuastatione magnam terribilemq; humanū in rebus desolationem accidisse tunc arbitratur . Fertiliū agrorum magnitudinem desertam , ceterisq; animalibus corruptis vix bouum caprarumq; genus & illud quidem rarum relictum fuisse , quibus pascendis tunc homines vitam agebant . CL. Cui dubium? ATH. Ciuitatis verō & disciplinae civilis & legum de quibus praesens à nobis sermo habetur , nunquid memoriam quidem ullam , ut ita loquar , fuisse putamus? CLIN. Nullam prorsus . ATHEN. An non ex illis ita dispositis nobis haec omnia prouenerunt , ciuitates , disciplinaeq; civiles , artes , leges , & virtutum atque virtutis non parua copia? CLIN. Quo pacto id ais? ATH. Nunquid arbitratur , o vir mirifice , eos homines cum multorum quae inter ciues honesta habentur vel turpia , ignari essent , summos vel in virtute , vel in vitio extitisse? CL. Probe dixisti , & quoduis intelligimus . ATH. Tempore igitur progrediente , ac genere hominum multiplicato , ad eum quem nunc videmus habitum prouecta omnia sunt . CL. Rectē admodum . ATH. Neq; tamen subito ut verisimile est , sed paulatim longoq; in tempore . CL. Valde sic decet . ATH. In campos . n . ex cacuminibus montium recens formido descendere prohibebat . CL. Certē . ATH. Nōne et propter paucitatem illis temporibus mutuo inter se aspectum congratulabatur , praesertim cū neq; terra , neq; mari transitus ad alios facilis fuerit , oibus ferme ad transitus instrumentis delectis unā cum artibus ? quapropter inuicem conuenire non poterant . Ferrum namq; & aes & metalla omnia confusa perierant , ut inueniri & in lucē erui non possent : unde et lignorum fabri non erant . Nā & si aliquod instrumentum relictum quandoq; in mon-

tibus superfuerit , cito tamē contritum euauit : nec alia fieri poterant , antequam ars metallica hominibus iterū inueniretur . CLIN. Quo enim pacto aliter fieri potuisset? ATH. Quot autem generationibus postea id factum esse putamus? CL. Profectō multis . ATH. Igitur artes quaecunq; ferro vtuntur & ere ceterisq; huiusmodi omnibus , eodem tempore , imō etiam maiore ignorantia tenebris obsita ignorabantur . CL. Certum id est . ATH. Quinetiam neque seditio illo tempore , neque bellum erat . CL. Qua ratione? ATH. Primo quōd propter desolationem ardenti se inuicem beneuolentia complectebantur . Deinde quōd cibus bellum non concitabat : Pascuorum enim nulla erat inopia , nisi forte quibusdam paucis ab initio . Pascuis autem plurimum illis temporibus vitam agebant . Lactis item et carniū copia non deerat . Ac Venatio facile alimenta , nec illa quidem mala suppeditabat . Vestitus praeterea , stramentorum , habitaculorum , vasculorumq; tam igneorum , quam non igneorum copiam habebant . Artes quippe fingendi atque texendi ferro non indigent , quibus haec omnia dei nutu consequimur , ut si quando homines in talem calamitatem deciderint , propagare genus humanū possint . Hac de causa nō valde inopes erant , neq; inopia copellabantur ad bella . Diuites etiā fieri minime poterant , quum neq; aurū , neq; argentū haberent . in quocunq; uerō horū cōitu , nec inopia , neq; diuitia sunt , huic iustissimi mores aderunt . Neque . n . ibi contumelia , neq; iniuria locum habet . Aemulatio quoq; et inuidia procul abest . His igitur de causis boni erant , ac maxime propter simplicitatem . Quaecunq; . n . audiebant honesta esse vel turpia , propter simplicitatem credentes esse vera , monitis obtemperabant . Nec ullus propter sapientia opinionē , ut modo fit , de mē dacio suspicabatur , sed quae de dijs et hoibus dicebantur vera putantes , quiete ad haec vitam suam instituebant . Quāobrem tales erant omnino , quales paulō antē narrauimus . CL. Ego quidem & hic tibi in his consentimus . ATH. Diximus porō generationes multas ita viuentes , tam illis qui antē diluuium fuerunt , quam hodiernis hominibus minorem peritiam habuisse , cum ceterarum artium , tum bellicarum quae terra vel mari hodie exercentur : ludicrorum quoq; & seditionum quae in ciuitate et verbis & operibus sedulo contendunt ad iniuriam alijs inferendam simpliciores autem fuisse & fortiores , ac similes modestiores , & in omnibus iustiores . Horum vero causam iam diximus . CL. Rectē loqueris . ATH. Dicta igitur ita haec nobis sint , & quae sequuntur idcirco exponatur omnia , ut intelligamus cur illis , opus legibus fuerit , et quis leges eis condiderit . CL. Probe dixisti . ATH. An igitur illi nec legumlatoribus indigebant , neque dū illis temporibus id fieri consueuerat? Literas enim nondū habebat illius temporis hominis , sed consuetudinem et mores maiorum sequentes vivebant . CL. Verisimile est , sed civilis disciplina quis modus fuit? ATHEN. Hic . CLIN. Quis? ATHEN. Omnes mihi videntur disciplinam viuendi civilem illius temporis imperium appellare , quod etiam nunc multis in locis & apud Graecos , & apud Barbaros viget , quod quidem id habitatione Cyclopuum extitisse , ita testatur Homerus : Ad consultā dum nunquam cocunt publicē , nec exercenda iudicia : sed in altis montibus caua antra inhabitant , spre-

risq̄ publicis priuatim quiq̄ vxoribus filijsq̄ dant iura .  
 c l. Iucundus hic poeta vobis fuisse videtur . Atqui &  
 alia nonnulla ipsius vidimus, valde illa quidem Urbana,  
 non multa tamen . Nos quippe Cretenfes alieno poemate  
 parum vrimur . MEG. Nos autem vrimur . Videturq̄ no  
 bis poetas huiusmodi superasse, quamuis non Latonicam,  
 sed Ionicam vitam potius vbiq̄ doceat . Bene aut̄ verbis  
 hic tuis attestari videtur, quum antiquitatem hominum  
 per fabulas ad hyluestrem viuendi modum reduxerit .  
 ATH. Attestatur nimirū . Quapropter testimonio illius  
 inducti credamus gubernationes hmoi aliquando fieri .  
 MEG. Recte . ATH. Nonne gubernationes hae sunt ex  
 hoibus ipsis qui per habitationes singulas, singulaq̄ gene  
 ra propter egestatem ex vastationibus factam dispersi vi  
 uunt? in quibus semper antiquior dominatur, ex eo quod  
 principium ex patre matreq̄ sumpserunt: quos quidem  
 quasi aues secuti gregem vnum conficiunt, patris volun  
 tate pro lege vrentes, & regno oīum iustissime guber  
 nati . MEG. Ita prorsus . ATH. Postea vero cōiter plu  
 resq̄ confluentes maiores ciuitates constituunt, atq̄ ad a  
 griculturas primum in montium radicibus conuersi ex se  
 pibus ambitus quasi muros vrbium ferarū causa condūt,  
 vnam domum amplam cōmunemq̄ condentes . MEG. Ve  
 risimile id quidem videtur . ATHEN. Quid aut̄ hoc?  
 nonne et̄ verisimile? MEG. Quidnam? ATH. Cū habita  
 tiones hae maiores e minoribus primisq̄ sunt factae, adesse  
 paruarum singulas, quarum vnaquaq̄ adducat seniore  
 principem propriosq̄ mores, ex eo quod seorsum vixerint,  
 & idcirco alios ab alijs parentibus educatoribusq̄ mores  
 susceperint, quibus assuefacti sunt singuli ad deos colen  
 dos, seq̄ ipsos curandos, modestiores quidem à modestis, à  
 fortioribus fortiores, & in ceteris oībus prout singuli fi  
 lios aut nepotes erudierunt, quorum ritus quasi leges pro  
 prias ad maiorem habitationem ferunt . MEG. Quid pro  
 hibet? ATH. Atqui necesse est leges suas cuiq̄ in primis  
 placere, aliorum vero leges loco secundo . MEG. Ita est .  
 ATHEN. Sed videmur iam in ipsa quasi legum incuna  
 bula & exordiū in seip̄ ingressi . MEG. Vtiq̄ . ATHEN.  
 Post hanc necesse est, vt qui conueniunt, aliquos ex seipsis  
 cōiter eligant, qui omnium instituta nouerint, & quae  
 maxime ex his probauerint, ad cōmunes quosdam popu  
 li duces quasi reges deferant . Earum vero legum quae cō  
 probatae fuerint, ipsi latores nominabuntur: constituen  
 tesq̄ optimatum gubernationem ex imperijs, aut regnū  
 aliquod, in hac ciuilibus disciplina mutatione conueniunt .  
 MEG. Ita certe conuenienti successione contingeret . ATH.  
 Tertiam itaque disciplinam ciuilibus figuram iam dicamus,  
 in qua species omnes & affectus rerumpublicarum & ci  
 uitatum reperiuntur . MEG. Quae nam ista est? ATH.  
 Ea certe est, quam Homerus post secundam tertio factā  
 ita significauit . Dardaniam vero tunc terram ille adifi  
 cauit . Nondum enim sacra Ily moenia erecta in campis  
 stabant, multarum gentium ciuitas . Sed ad radices mō  
 tis Idae fontifluuae habitabant . Profecto carmina hae &  
 superiora illa de Cyclopius diuinitus & secundum natu  
 ram ipsam conscripta sunt . Diuinum .n. poetarū genus  
 est: dys agitur, & sacros concinit hymnos . Vnde vera  
 passim cū musis atq̄ gratijs tangere solent . MEG. Sum  
 moperē . ATH. Praestantem igitur fabulam prosequa  
 mur . Fortē enim aliquid ex ea patebit ex ijs quae volu

mus . An non sic oportet? MEG. Sic prorsus . ATH. Con  
 ditum igitur ex altioribus locis in magno pulchroq̄ cam  
 po zlium accepimus, in colle quodam non alto, quō mul  
 ti desuper ex Ida fluuij desuebant . MEG. Sic traditum  
 est . ATHEN. An non longō post diluuium tempore id  
 factum putamus? MEG. Quis non ita putarit? ATH.  
 Magna igitur eos deuastationis illius cepisse videtur obli  
 uio, quando iuxta multos fluuios, & ab altioribus locis  
 fluentes vrbem condiderūt, seq̄ ipsos collibus exiguis cre  
 didere . Vnde perspicuum est multis seculis eos post illuui  
 nis vastitatem fuisse . Alij praeterea multa vrbes, iam  
 tunc longius propagato genere hominum colebantur .  
 MEG. Quidnam? ATHEN. Quae scilicet & aduersus zlion  
 militauerunt . Atq̄ per mare forsan, quasi iam omnes eo  
 intrepide vterentur . MEG. Apparet . ATHEN. Decen  
 nio autem Achius Troia oppugnantes euerterunt . MEG.  
 Planē . ATHEN. In eo igitur decennio quo Troia obside  
 batur, multa mala domi obsidentibus Achius propter  
 seditiones iuuenum acciderunt, qui nec honestē, nec iuste  
 in sua redeuntes milites receperē, sed ita vt multi morte,  
 multi exilio afficerētur . Qui rursus expulsi deducti sunt,  
 Dori pro Achius mutato nomine appellati, propter Do  
 ricum quendam à quo exules congregati & restituti fue  
 runt . Atque haec omnia vos, o Lacedaemonij, hinc nar  
 ratis . MEGIL. Proculdubio . ATHEN. Cū sermo no  
 bis de legibus institutus esset, in disputationem de musica  
 & ebrietate digressi sumus . Nunc tandem quasi diui  
 nitus ad idem nobis oratio reuoluta est, nobisq̄ quodam  
 modō ansas praebuit . Ad eam enim ciuilem disciplinam  
 delapsa est, quam & Lacedemone, & in Creta recte  
 quasi fraternis legibus institutam asseritis . Tantum ve  
 rō ex hac orationis digressionē lucrati sumus, vt dum per  
 disciplinas ciuiles vrbiumq̄ habitationes transuersemur,  
 primam & secundam & tertiam ciuitatem perspexeri  
 mus, alteram ab altera in tractu quodam longissimo tē  
 poris, vt nostra fert opinio, dependētes . Nunc vero quar  
 ta haec nobis ciuitas venit, aut si vultis quartum hoc ho  
 minum genus, quod & quandoque alicubi habitabit,  
 & nunc iam habitat . Ex quibus omnibus si intelligere  
 poterimus, quid bene vel contra inhabitationē sit insti  
 tutum, & quanam leges ipsorum conseruant ea quae con  
 seruantur, & quae corrupta corrumpunt, & qualis in  
 stitutionum ciuiliū commutatio beatam, o Megille &  
 Clinia, efficit ciuitatem, satis nobis factum putabimus .  
 Haec omnia inquam, rursus tanquam ab initio nobis tra  
 ctanda sunt, nisi forte aliquo pacto quae dicta sunt, res  
 puamus . MEGIL. Siquis nobis hospes deus polliceretur:  
 si disputationem de latone legum rursus aggrediamur,  
 neque pauciora, neq̄ peiora his quae dicta sunt, auditu  
 ros esse: longum ipse hac de causa iter facerem, & bre  
 uis mihi haec dies videretur, quamuis ab aestuali solsti  
 tio ad hyemalia, dies modō vertatur . ATH. Consideran  
 da igitur ista videntur? MEG. Maxime . ATH. Illa de  
 niz tempora cogitatione complectamur, in quibus Lacede  
 mon, Argi, Messenēq̄, & eis coniuncta oīa maiori  
 bus vestris Megille subiecta fuerunt . Tūc .n. illud ipsis,  
 vt dici solet in fabula, placuit, vt tripartito exercitu di  
 uiso, vrbes tres habitarent, Argos, Messenen, Lacede  
 monem . MEG. Sic factum . ATHEN. Et Argorum  
 quidem rex Temenus factus est, Messenes vero Cres

Vnde Dori.

X uij phontes,

phontes, Lacedaemonis autem Eurysthenes simul atque Procles. MEG. Sic utique. ATH. Coniurarunt item omnes eum hostem futurum, qui cuiusquam ipsorum regnum deuastare aggredieretur. MEG. Plane. ATH. Dic vero per Iouem, nunquid regnum vel principatus quisspiam deponatur, vel depositus quandoque ab alijs sint, quam a seipsis? An paulo ante cum in hunc sermonem incidere-remus, id ita esse putabamus, nunc autem oblitus sumus? MEG. Minime. ATH. Nonne idem magis nunc confirmabimus? ab historia enim rerum gestarum in quam incidimus, ad hoc affirmandum admonemur. Quare non circa vanum aliquid orationem reuoluemus, cum rem gestam ac veram dicamus. Facta vero haec sunt. Triaregna, & tres gubernatae regno ciuitates legibus communiter de imperando parendoque positae iurarunt inuicem, reges quidem ne genere ac tempore progrediente violentius regnarent: populi autem si reges iusturandum conseruarent, ne inquam regno deponerent, imò vero defenderent si quis inquam aggredieretur. Reges quoque regibus & populis, atque etiam populi populis & regibus, se ad mutuo propulsandas illatas iniurias iuramento obstrinxerunt. Nonne ita? MEG. Ita profus. ATH. Quod autem in constituenda disciplina ciuili maximum est, id siue reges, siue alij, leges tulerint, tribus illis ciuitatibus adfuit. MEG. Quil illud? ATH. Ut duae simul contra unam insurgerent, qua positae leges transgredieretur. MEG. Manifestum id quidem. ATH. Illud etiam legislatoribus multi praecipunt, ut leges huiusmodi ferant, quales multitudo & populus libenter suscipiant, perinde ac si quis gymnasy magistris medicisque praeciperet, ut cum voluptate corpora curent, eisque iucunde medeantur. MEG. Sic omnino. ATH. Pulchre tamen sepe numero habet, si quis parua cum molestia bonam habitudinem & sanitatem corporibus reddat. MEG. Quidni? ATH. Hoc praeterea ipsis aderat non paruum ad ferendarum legum facultatem. MEG. Quidnam? ATH. Non erat illarum legum latoribus bonorum aequalitatem efficientibus maxima illa difficultas, qua conuenientibus in unam legem ciuitatibus multis solet accidere, si agrorum querant possessionem turbare, & nouas tabulas introducere, quoniam videant non satis posse absque his aequalitatem fieri. Nam aduersus eum qui mouere ex his aliquid tentat, omnes reclamant, ne moueat non mouenda. Agros quippe diuidenti, & nouas tabulas introducenti aperte omnes maledicunt, ut quisque quod se vertat ignoret. Doris autem haec difficultas turbatioque non fuit. Nam agros abunde sine controuersia possidebant, debitaque ipsis aeris alieni iam olim constat & magna non erant. MEG. Veranarras. ATH. Quoniam igitur optimi viri ita male constitutio illa & legislatio ipsis abiit? MEG. Quo id pacto? Quid due culpas? ATH. Quod ex tribus ciuitatum constitutionibus, duae cito & disciplinam ciuilem & leges perdidit, & vestra ciuitas una relicta est. MEG. Haud facile est quod interrogas. ATHEN. Atqui opus est ut id modo considerantes, differentesque de legibus senili quodam modestoque ioco, iter hoc, quemadmodum a principio diximus, sine molestia conficiamus. MEG. Proculdubio faciendum est ut dicis. ATHEN. An igitur pulchriorem de legibus considerationem habere possimus, quam de his legibus qua ciuitates hmoi

exornarunt? aut etiam ciuitates illas institutionesque honestiores ac maiores his cogitare? MEG. Non facile quispiam his alias anteponat. ATH. Nemo autem ambiget quin illi ita coniuncti non Peloponnesum tantum, verum etiam uniuersam Graeciam, si Barbarus quispiam iniuriam intentaret, defendere posse crediderint, Troianorum exemplo excitus, qui Assyriorum potentia freti, qua a Nino traxit originem, bellum contra seipsos concitarunt. Erat enim adhuc principatus illius non contemnenda potentia. Quare quemadmodum nunc regem nos magnum formidamus, ita gentium illarum conspirantium in unam potentiam tunc omnes expauescebant. Magna vero his inuidiam secunda Troia euersio conflauit. Assyriorum enim principatus particula quaedam, Troia potest fuit. Aduersus igitur eam potentiam in tres diuisas ciuitates exercitus a fratribus, Herculis filijs tunc regnantibus optime atque ornatisime habere videbatur, & multo melius instructus, quam ille ipse qui Troiam obsedit. Primus enim Heraclidus principes excellentiores quam Pelopidas habere se arbitrabantur: deinde hunc exercitum illi qui Troiam perijt, virtute praestare. Hos enim vicisse, illos ab istis fuisse superatos, a Doris Achiuos. Nonne sic illos cogitasse, eaque de causa sic se praeparasse credimus? MEG. Omnino. ATH. Verisimile igitur illos firmam quoque constitutionem hanc suam fore putasse, longumque tempus duraturam, praesertim quia multa pericula & labores unam subierunt, & a fratribus regibus gubernabantur. Ne non multis vis fuerant uatibus, cum alijs, tu Apolline Delphico. MEG. Verisimile admodum. ATH. Haec vero qua maxima fore existimabantur, breui tunc, ut uideretur, euauerunt, praeter paruam, ut modo diximus, partem, qua uestra habitat regionem. Haec nunquam ad hunc usque die bello contra duas partes suscepto quieuit. Na si facta tunc constitutio concors mansisset, inuicta profecto bello fuisset. MEG. Quidni? ATH. Quo igitur & qua ratione dissoluta est? Nonne consideratione dignum apparet, quanam fortuna tantam ac talem constitutionem euerit? MEG. Nunquam profecto aliud considerans quispiam vel leges vel respub. alias intelligere poterit, quibus pulchrae magnaeque res seruentur, vel contra perdamur, si ista neglexerit. ATH. Feliciter ergo in hanc tam accommodam considerationem incidisse uidemur. MEG. Sumopere. ATH. Nunquid ergo noster nos error oes latet, & in presentia maxime, dum putamus singularem quandam persexissem, & quam mirabiles euentus sequentur, si quis bene illa uti modo debito non ignorabit? Nos autem modo neque recte forsitan, neque secundum naturam de hoc ipso sentimus: Et alij omnes in omnibus errant, quibus de similitur cogitant. MEG. Quid ais? Et qua de re istud maxime dicis? ATH. Ipse me, o bone vir, nunc certe risi. Cum enim illum exercitum, de quo modo sermo habitus est, considerassem, egregius profecto atque mirandus mihi uisus est, & praecleara quaedam facinora Graecis designaturus, si quis tunc ipso bene uisus fuisset. MEG. An non prudenter & tu cuncta dixisti, & nos probe laudauimus? ATH. Fortasse puto tamen oes qui magnum aliquid & ingenti potentia prae ditum uiderint, statim sic affici, ut opinetur, si sciret qui ipsum possidet, tanta re talique uiri, multis perlaris inde rebus gestis felice fore. MEG. Nonne & hoc relictum? vel quomodo dicis? ATH. Considera iam quor-

sum respiciens, qui sic laudat singula, rectè dicat. Ac primò de quo dicebamus, quo pacto si rectè sciissent exercitum ordinare qui tunc præfuerunt, feliciter vsi occasione fuissent: nõne si tutorem illo tempore constituisent, semper seruassent, ita vt & ipsi liberi essent, & alios quos uellent, subiugarent? atq; nõno & ipsi & eorum posteri tam apud Græcos quàm apud Barbaros, quicquid cuperent, consequerentur? An non oia huius gratia cupiebant? MEGIL. Imò est valde. ATH. Quicumq; igitur cum diuitias ingètes perspexerit, aut honores generis excellentes, aut aliquid eiusmodi, eadem ipsa dixerit, ad hoc respiciens dicet, quasi per hoc ipsi futura sint oia qua desiderat, vel plurima atq; potissima. MEGIL. Ita videtur. ATH. Vna certè oium hõrum cõmunis quedam cupiditas est, quam præsens sermo significauit. MEGIL. Quenam? ATHEN. Vt secundũ animi sui desiderium oia, vel saltem humana gerantur. MEG. Cui dubium? ATHEN. Quando oes semper hoc volumus, & in pueritia & adulta etate & senio, sedulo id proculdubio habere precamur. MEGIL. Vtiq;. ATH. Amicus est hæc precamur, quæ ipsi quoz sibi præcarentur. MEGIL. Et hoc. ATH. Amicus aut filius patri, cum puer sit, viro. MEG. Profecit. ATHEN. Atqui eorum qua puer contingere sibi precatur, multa pater ne accidant, deprecatur. MEG. An id fieri dicis, quando iuuenis est & amens filius qui precatur? ATH. Imò etiam quando pater siue senex, siue admodum iuuenis, cum nec honestorum neq; infortũ quicquam cognoscit, sic affectus vt Theseus erga infelicem Hippolytum, impensius imprecatur, filius aut cognoscit, putatne tunc filium cum patre eadẽ oraturũ? MEG. Intellego quod dicis. Dicere. n. mihi videris, non esse precandum conandumq; vt voluntatem nostram cuncta sequantur, sed vt prudentiam nostrã voluntas. Idq; tam ciuitati quàm singulis, precibus petendũ, studendumq; vt mentem habeant. ATHEN. Idq; prorsus inquã. Quin etiam quod ciuili vir legumq; lator ad hæc semper respiciens leges ferre debet, & ipse recordatus sum, & vos nunc recordari volo. Nempe vos in disputationis principio dicebatis, probũ legumlatorem ad bellum oia referre debere. Ego aut dicebam, ad vnam solũmodò virtutem, cum tamen sine quattuor, id respicere: respiciendumq; nõ ad vnam tantum, sed oes: maximè verò ad primam, q̃ & ceterarum omnium dux est. hæc verò prudentia est, & intellectus, & opinio, vna cum amore & cupiditate ista sequente. Eodẽ iam oratio nostra reuertitur. Et ego qui tunc ea dicebam, eadem nunc etiã dico, siue ioco vultis, siue serio. Assero equidem non esse tutum, voto vti, & voto potiri, si mentẽ non habeas, sed contraria eorum euenire qua petis, satius esse. Si serio dicta hæc existimare vultis, existimate. Spero. n. nunc vobis persuadere quod paulò antè proposuimus: perditionis regum, totiusq; constitutionis illius dissoluenda causam non timiditatem fuisse, nec rei militaris ignorantiam seu principũ siue subditorum, sed vniuersam reliquam prauitatem, & præsertim circa humanarum rerum maximã ignorantiam. Quod hæc tunc ita contigerint, & nunc sicubi fiant, aut futura quandoq; sint, non aliter eueniant, si vultis conabor, vt ratio deinceps ostendet, adiuuere, vobisque tanquam amicis, pro viribus explanare. CLIN. Verbis te hospes laudare molestum, re autem valde laudabimus,

vtro qua dicas audiendo, qua in re liberalis verusq; laudator vel maximè perspicuus sit. ATHEN. Optime tu quidem Clinia. Quare quod ais efficiamus. CLIN. Erit ita, si deus voluerit. Tu modò dic. ATH. Censemus ergo, per sequentem disputationis huius viam deinceps progredientes, maxima tunc ignorantia potentiam illam fuisse perditam, similesq; rerum euentus, & nunc eadem ex causa proficisci. Quapropter si hoc ita se habet, legislator conari debet prudentiam, quoad fieri potest, ciuibus dare, ignorantiam quàm maximè auferre. CL. Manifestum id quidem. ATHEN. Quenam igitur maxima inscitia iure dicetur? Considerate si mihi assenti-  
 mini. Ego enim hæc censeo. CLIN. Quam? ATHEN. Quando aliquis quod honestum sibi aut bonum videtur, non amet, sed oderit: quod autem malum atque iniustum, id diligat atque amplectatur: hæc voluptatis dolorisq; dissensionem aduersus eam qua rationem sequitur opinionem, extremam esse inscitiam assero. quam et maximam dico, quia in multitudine animi est. Quod enim in eo doloribus voluptatibusq; micipatum est, quasi plebs ciuitatis est atq; multitudo. Quando igitur scientia, vel opinioni, vel rationi qua natura dominatur, animus aduersatur, hoc ego ignorantiam appello: & ciuitatis quidem, quando principibus legibusq; multitudo non pareat: & vnius etiam viri, quando licet bona in animo rationes sint, nihil tamen magis secundum ipsas agitur, sed contra omnia peraguntur. Hæc equidem ignorantias perniciosissimas esse assero ciuitatis, cuiuslibetq; ciuis, nõ autem opificum ignorantias, si modò quod dico hospites intelligitis. CL. Et intelligimus, o amice, hæc, & concedimus. ATHEN. Hoc itaq; ratum habeatur, quod ciuibus qui hoc modo ignorant, nihil ad principatum pertinens committendum sit; imò verò vt ignorantes, improbandi, etiam si acutissimi & disertissimi sint, & quæ ad ornamentum & acumen ingenij spectant, cuncta complexi. Qui verò contra affectu sunt, sapientes habendi etiam si neq; literas, vt dicitur, nouerint, neque natæ sciant. Magistratus quoq; istis quasi prudentibus committendi. Quo. n. o amici, vel minima prudentiæ species sine consensu consistere poterit. CLIN. Nullo modo. ATH. At verò pulcherrimus maximusq; consensus omnium, maxima iure sapientia esse dicetur. Cuius quidem particeps sit necesse est qui secundum rõnem viuere debet. Quisquis aut expers est, & suæ domus euerfor, & ciuitatis nunquam seruator, sed contra omnino ad hæc semper ignarus esse videbitur. Hæc igitur, vt paulò antè diximus, ita se habeant. CL. Ita prorsus. ATH. Imperantes verò & parentes nõne in ciuitatibus esse debent? CL. Vtiq;. ATH. Esto. rationes aut pro dignitate imperandi parendiq;, tam in ciuitatibus seu magnis seu paruis, quàm priuatim in domibus similiter quales & quot sunt? Nõne prima dignitatis recta ratio erit, vt pater ac mater, & simpliciter genitores vbiq; natis imperent? CL. Maximè. ATH. Secunda, vt ignobilibus generosi? Tertiam, vt iunioribus seniores? CL. Et hoc. ATH. Quarta, vt domini seruis? CL. Proculdubio. ATH. Quinta, vt potentiores dominantur, imbecilliores seruiant? CL. Principatum modò dixisti admodũ necessariũ. ATH. Imò uerò qui plurimus, & secundum naturam, vt Thebanus Pindarus ait, in oibus aialib. reperitur. Maxima uerò dignitas

Qua maxima inscitia ciuium.

Proverbiũ.

Septẽ dignitates imperandi.

No p̃candũ ut uoluntate nostrã cum illa sequatur, sed ut prudentia nostra uoluntate.

gnitas sexto collocanda est, qua ignorantes quidem sequi subentur, prudentes autem ducere atq; dominari. Quod ego quidem imperium, o sapientissime Pindare, non praeter naturam, sed secundum naturam legis & sponte susceptum, non violenter fieri affirmarem. CLIN. Probe dictum. ATH. Septimum principatum ad sortem aliquam producimus, cum dei gratia & felicitate quadam obtingere asserentes: & iustissimum esse ducamus, ut is quem fors delegerit, imperet: ille vero quem repulerit, pareat. CLIN. Vera narras. ATH. Dicemus ergo ioco quodam ad aliquem eorum qui facile ferendarum legum munus aggrediuntur. An vides, o legumlator, quot circa imperantes dignitates expendenda? & quo inter se opposita sint? Profecto nunc fontem aliquem seditionum inuenimus, a quo tibi est cauendum. Primum nobiscum diligenter considera, quidnam & quomodo praeter haec male agentes isti apud Argos Messenamq; reges seipsos simul & Gracorum potentiam, qua tunc mira erat, euerterunt. Nonne quia rectissime dictum ab Hesiodo ignorarunt, Dimidium nonnunquam plus esse quam totum? Quando videlicet totum comprehendere noxium est, dimidium vero moderate se habet, tunc sane moderatum immoderato plus esse censuit, utpote deteriore melius. CL. Rectissime. ATH. Vtrum regibus hoc perniciosum esse prius, quam plebi credamus? CLIN. Probabile est regum maxime hunc morbum esse, qui superbe propter delicias viuunt. ATH. Perspicuum igitur hoc primum reges eos habuisse, quod plus quam leges contenderent posse voluerunt, nec in eo concorditer permanserunt, quod verbis & iureiurando laudauerant. Verum dissensio, ut vobis videtur, qua cum maxima ignorantia sit, sapientia tamen apparet, ea oia propter errorem & ruditatem acerbam, euerit. CLIN. Videtur. ATH. Quid igitur hoc de morbo timentem legislatorem oportuit cauisse? An per deos neq; sapientia laudem habet nunc huius agnitio, neq; difficile dictu? Siquis autem id tunc prauidisset, certe is nobis sapientior exiitisset. MEG. Quid illud dicis? ATH. Licet nunc Megille quod olim a vobis factum sit aduertere, atq; inde re ipsam cognoscere, faciliusq; ita quod tunc fieri potuit, dicere. MEG. Dic planius. ATH. Ita certe apertissimum fiet. MEG. Quonam pacto? ATH. Si quis minoribus potentiam maiorem neglecta mediocritate, nauibus vela, cibum corporibus, animis principatum committet, omnia peruertentur. Nam supra modum elata lasciuunt: & alia quidem in morbos incidunt, alia in iniuriam elatioris lasciuiae filiam. Quid itaque dicimus? Nonne hoc? quod nullum prorsus ingenium humanum sit, quod si & iuuenile, & nemini subiectum existat, ita ferre potentiam maximam possit, ut ne mente amentia morbo maximo referta, in proximorum etiam amicorum inuidiam incurrat: quod cum accidit, animus statim perdit, & omnem eius vim obscurat. Hoc autem cauere mediocritatis ipsius obseruatione, excellentium legumlatorum opus. Quod igitur tunc factum, facile modo perspectu est, hoc esse videtur. MEG. Quidnam? ATH. Deus quispiam ut arbitror vestri curam habuit, qui cum futura presciveret, geminam vobis ex vna regum generationem constituit, atq; ita ad mediocritatem magis contraxit. Praeterea natura quadam humana viribus diuinis coniuncta tumentem vestrum perspicens prin-

Quomodo  
intelligendum,  
Dimidium  
plus esse  
quam totum.

cipatum, moderatas vires eorum qui in iudiciali foro versantur, superba nobilitatis potentia innoxit, viginti & octo senum sena, in rebus maximis regum potentia adaequata. Ad haec tertius seruator affuit, qui luxuriantem adhuc & frementem considerans principatum, Ephorum censura proximè ad potentiam sorte electa conducta quasi frenum ipsis immisit. Hac igitur ratione regnum vestrum, ex quibus decebat compositum, & moderate constitutum, & ipsum quidem seruatum est, & salutis aliorum causa fuit. Quoniam Temeno & Cresiphonte caterisq; qui leges eis condiderunt, quicumq; fuerint, nec factio quidem ipsa Aristodemi seruata fuisset. Neq; n. satis erant ferendarum legum periti. Quoniam si fuissent, nunquam iuuenilem aium accepto principatu vnde tyrannis fieri poterat, iureiurando cohibitorum existimassent. Nunc autem deus ostendit, qualem oportebat oportetq; potissimum constitui principatum. Quod quidem a nobis intelligi postquam factum est, ut dixi antea, nihil mirum. Non n. arduum est videre, si exemplo comonearis. At si quis id tunc prospexisset, moderariq; principatus & vnum ex tribus perficere potuisset, magnificas oes eorum cogitationes seruasset, nec Persica classis, nec alia vlla vnaquam contemptis nobis ut nulla re dignis, in Graciam nauigasset. CL. Vera narras. ATH. Turpiter ergo illis repugnarunt, o Clinia. Turpiter autem dico, non quia qui tunc terra mariq; vicerunt minus quam deceret fortiter pugnando se gesserint: sed turpe illud inquam, quod vna de tribus illis ciuitatibus pro Gracia decertauit: dua autem ita deprauatae fuerunt, ut altera Lacedaemonem quoq; ne succurreret, prohiberet, non paruo ipsi bello illato: altera Argiuorum quamuis prima illis distributionis temporibus in Gracia esse, tamen ad depellendam Barbarum accersita, nec orantes audire voluit, neq; defendit. Multa referre possem q; ea tempestate in Gracia facta, ut turpia possunt accusari. Neq; qui Graciam se defendisse dicunt, verè dicunt. Nisi n. Atheniensium Lacedaemoniorumq; coe consilium atq; potentia imminens seruilitate propulisset, ferme iam oia confusa essent, & Gracia cum Gracis inuicem, cum Gracis item Barbaris, Gracia cum Barbaris. Quemadmodum Gracia illa qua nunc Persarum tyrannidi subiecta sunt, sine ordine vno confusa sunt inuicem, ac male etiam dissipata. Haec habemus, o Clinia & Megille, qua tam praescis viris ciuilibus legumlatoribus, quam iunioribus opponamus, ut causas eorum rimantes, quid praeter haec aliud fuerit agendum inueniamus: quale est quod nunc exposuimus, quod videlicet non oporteat magnos impermixtosq; principatus constituere, illud semper memoria tenentes, quod ciuitatem & libertatem semper & prudentem & sibypsi amicam esse oportet. Ad qua respiciendum est illi qui leges laturus est. Ne miremini autem, si saepe iam alia quadam proposuimus, ad qua sit legumlatori respiciendum, qua quidem non eadem esse atq; haec appareant. Sed meminisse oportet, quando ad temperantiam, vel prudentiam, vel amicitiam respiciendum dicimus, non aliam atq; aliam, sed eam nobis esse intentionem: ac si multis etiam alijs huiuscemodi verbis utemur, ne turbemini. CL. Conabimur ita facere, verba ordine repetetes: Sed nunc expone quod dicturus eras, quando amicitiam, libertatem, prudentiamq; spectare legumlatorem debere dicebas. ATH. Audiatis modo.

Dua

Oportere etiam  
libertatem & libe-  
ram & amicitiam  
dicere & sic  
amicam esse

Dua ma-  
tres ciuili-  
gubernatio-  
num.



Dua gubernationem civilium quasi matres quaedam sunt, ex quibus si quis alius dixerit originem ducere, recte utique dicit. Quarum alteram principatum unius, alteram populi, appellare decet. Alterius quoque summum tenere Persarum genus, alterius nos putandum. Cetera vero forma omnes hinc, ut dixi, varia componuntur. Neesse est autem harum utrarumque participem fore civitatem, si libertas in ea atque amicitia cum prudentia futura sit. Quod quidem oratio praecipere nobis vult, cum dicit, civitatem horum expertem bene gubernari nunquam posse. CLIN. Quo. n. pacto? ATHEN. Cum igitur altera Monarchiam, unius scilicet principatum: altera libertatem dumtaxat magis quam oportuerit, complexa sit: neutra mediocritatem servitutis libertatisque servavit. Vestra autem, Laconica dico et Cretica, magis. Sed Athenienses ac Persae, quondam hoc fere pacto, nunc vero minus. Sed causas quoque dicemus, an non? CL. Omnino, si modo quod proposuimus est, absolere cupimus. ATH. Audiamus ergo, Persae quidem quando Cyri tempore servitutis libertatisque mediocritatem magis habebant, primum ipsi liberi fuerunt, deinde multos alios subiecerunt. Nam cum principes ipsi libertatem subditis impartirent, et re ad aequalitatem magis reducerent, milites ducibus magis erant amici, paratosque se in periculis exhibebant. Ac si quis inter eos prudentior erat, consilioque valebat, cum rex invidiosus non esset, sed dicendi facultatem libere omnibus daret, honoraretque consilij compotes, facultatem prudentiae comem in medium deducebat. Cuncta igitur tunc illis libertate, amicitia, mentisque comunione facilia reddidit. CL. Videntur haec ut dicuntur, ita gesta fuisse. ATH. Quo pacto igitur Cambisa tempore regnum id fere cecidit, et rursus Darij tempore restitutum est? Vultisne ut quasi divinatione uti dicamus? CL. Quidni velimus? Confert. n. hoc ad illud quod tendimus. ATH. Ita igitur de Cyro Vaticinor: in ceteris quidem ipsum et ducem bonum et civilis vitae amicum fuisse, rectam vero disciplinam nudo pacto attingisse, nec ad rei familiaris administrationem animum unquam applicuisse. CL. Cur ita? ATH. A inuenta per totam vitam militia occupatus, mulieribus filios tradidit educandos: quae ipsos ut felices statim pueros atque beatos nullius indigentes rei sic educabant, ut prohiberent ne quis eis utpote beatis aliqua in re adversaretur, cogentes omnes quicquid ipsi dicerent aut facerent, laudare. Ita ipsos tales quosdam educauerunt. CL. Bellam certe educationem narrasse videris. ATH. Foemineam nempe, quam induxerunt regia mulieres novis elatae diuitijs, desertaque a viris bello et periculis occupatis. CL. Consentaneum id quidem. ATH. Pater vero ipsorum, cuium, hominum, mulierumque aliorum, quorum ad eos spectabat possessio, greges multos habebat: sed ignoravit quod filij quibus hac relicturus erat, paternam ipsam Persicamque artem non docebantur, cum Persae pastores essent in regione aspera geniti, et ipsa ars Persica dura esset, sufficiensque robustos eos pastores efficere, qui et custodias agere et vigilare possent, et militare, si res postularet. Permisit autem ut mulieres et eunuchi Medoris ritu filios eius nutriverent: quorum educatio ab ea qua vulgo existimatur felicitas, corrupta est. Unde tales evaserunt, quales fieri conveniebat eos, qui in summa rerum licentia nutriti fuissent. Cum igitur mortuo Cyro, rerum potiti sunt, utpote

qui resoluti delicijs nutriti essent, primum alter aequalitatem non ferens, alterum interfecit: deinde ipse ignorantia ebrietateque furens principatum perdidit. Medi. n. ac quidam Eunuchus tunc dictus ipsum quasi amentem contempserunt. CL. Sic fertur, atque sic ferme contigisse videtur. ATHEN. Atque hoc fertur, per Darium septemque illos viros principatum in Persas iterum rediisse. CL. Plane. ATH. Inspectamus igitur rationem sequentes. Darius nec regis erat filius, nec in delicijs enutritus. Is cum ad principatum pervenisset, septimusque ipsum accepisset, septem in partes ipsum partitus est, quorum hodie adhuc parva quaedam somnia restant, censuitque vivendum esse sub legibus ad comem quandam conferentibus aequalitatem: atque id ita sanxit, distributionemque illam quam Cyrus Persis pollicitus fuerat, lege complexus est, amicitiam comuniatemque Persis omnibus praebens, ac Persarum populum pecunijs et muneribus attrahens. Ita dilectus a militibus, non pauciores quam Cyrus reliquerat, regiones ipse subiugavit. Post Darium Xerxes, qui regis est delicijs quidem educatus. Sed te nunc iure appello Dari, qui Cyri malo comonitus non fuisti, sed in eisdem Xerxem moribus educaisti, in quibus Cambisem Cyrus nutriverat. Ipse igitur utpote eodem pacto educatus, similia quoque perpeffus est. Ex illo tempore nullus unquam ferme Persarum rex magnus nisi nomine fuit. Neque fortunam fuisse causam arbitror, sed vitam malam, quam filij valde diuitum tyrannorumque plurimum vivunt. Numquam. n. puer et vir et senex ex huiusmodi vita virtute praestans evadere poterit. Quae quidem et legumlatori consideranda, et nobis in praesentia animadvertenda censemus. Atque et vobis par est, de Lacedaemonij id tribuere, quod nec paupertati, nec diuitijs, nec regno, nec priuatis, excellentem magistratum illum committitis, quem iam a principio vox dei alicuius committi non iusserit. Neque oportet enim in civitate excellentes cuiquam conferre honores, quia diuitijs praestet, aut quia velox, aut formosus, aut robustus sit, si virtute careat. Sed neque si virtutem etiam aliam habeat quandam, temperantiam vero non habeat. MEG. Quo pacto id hospes ait? ATHEN. Nonne fortitudo una quaedam pars virtutis est? MEG. Est. ATHEN. Tu ipse igitur, cum audieris, indicato. Velle sine vicinum aut domesticum quempiam habere, fortem quidem maxime, minime vero temperatum, quin etiam impudicum? MEG. Dij meliora. ATH. An vero artium quidem multarum peritum, et in his sapientem. sed iniustum? MEG. Nullo modo. ATHEN. At vero iustitia sine temperantia originem habere nullam potest. MEGIL. Quomodo enim aliter? ATHEN. Sed neque etiam ille, qui modo sapiens a nobis dictus est, quod voluptates atque dolores recte rationi concordet et obsequentes habeat. MEGIL. Non certe. ATHENIEN. Id praeterea consideremus, ut quomodo inter cives honores recte, vel non recte distribuantur, inspectamus. Quid nam? ATHENIENS. Temperantia si ab omni alterius virtutis genere in alicuius animo destituta sit, honorandane iure est, an contra? MEGIL. Non habeo quid respondeam. ATHEN. Modeste, satisque responsum est. Alterutro enim illorum concessio, inconcinne. ut arbitror, respondisses. MEGIL. Bene igitur factum est. ATH. Esto. Nempe accessio ipsa et honores

Multa de  
gubernatio  
Cyri, Cambisae  
et Darij

partem  
de  
Cyri  
et  
Cambisae  
et Darij

Dua  
res  
conferuntur  
gubernatio

res & opprobria non responsu, sed silentio potius irrationabili digna erunt. MEG. Temperantiam dicere mihi videris. ATH. Hanc ipsam dico. Quod igitur ex alijs nobis prodest plurimum, si cum additione maxime honoretur, rectissime honorabitur: & quod secundo loco prodest, secundo honorandum. Atq; ita secundum successio nis rationem, si unumquodq; honores qui deinceps ordine sequuntur nanciscatur, recte utiq; nanciscetur. MEG. Est ita. ATH. Quid porro? an haec quoq; a legislatore distribuenda esse dicemus? MEG. Maxime. ATH. Visne partitionem cunctorum in opera singula & minima quaeque illi relinquamus? Tripartitam vero diuisionem, quonia & ipsi legum quodammodo studiosi sumus, teneamus, maxima & media & minima inuicem secernentes. MEG. Summoperè. ATH. Oportere itaq; dicimus ciuitatem, qua pro humanis viribus salua felixq; futura sit, recte honores & opprobria distribuere. Recta autem distributio est, ut prima & maxime honoranda censeantur animi bona, si adiuncta illis temperantia sit. Secundo dignitatis gradu corporis bona ponantur. Tertio, externa possessio & pecunia. Haec si quis legislator ciuitatisue transgreditur, vel pecuniam praeter ceteris honorando, vel posterius aliquid honore prius collocando, neq; sancte, neq; ciuilitate faciet. Rata haec nobis habenda? an quomodo? MEG. Prorsus quidem. ATH. Haec latius dicere nos induxit Persicae gubernationis consideratio. Inuenimus autem eos peiores adhuc factos esse. Causamq; esse dicimus, quia nimium populi libertate sublata, dominandiq; potestate magis quam oporteret adaucta, societatem in ciuitate et amicitiam sustulerunt. Quibus corruptis, principes quoq; non subditis ac populo, sed proprio imperio consulunt. Quinetiam saepe exigui sui comodi gratia, funditus euer ti ciuitates, gentesq; amicas igne absumi non curant. Ita hostiliter & absq; misericordia oderunt, & odio similiter habentur. Ac si quando opus sit ut pro eis populi pugnet, nullum rursus comunem in ipsis consensum inueniunt, ut velint ex animo subire pericula, & pro principibus dimicare: sed cum innumeris penè hominibus dominantur, inutiles tamen omnes habent ad bellum, & tanquam hominum indigentes, alios mercede conducunt, per mercenarios extraneosq; milites saluos se fore putantes. Praeterea & insanire coguntur: cum re ipsa praedicent nugae esse ea, quae in ciuitate honesta esse & honoranda dicuntur, si ad argentum & aurum conferantur. MEG. Ita fit. ATH. Sed de rebus Persarum, quod propter nimiam dominationem seruitutemq; non recte modo se habeant, iam satis sit dictum. MEG. Omnino. ATH. Atticam deinceps gubernationem similiter percurrere decet, ut pateat quemadmodum libertas nulli subdita magistratui non paulo deterior est, quam illa qua mediocritatem magistratum dominatione consequitur. Nobis enim tempore quo Persae Graciam, imò vniuersam penè Europam aggre diebantur, prisca quadam erat Respublica, & magistratus aliqui ex censu quadrifariam diuisi erant, pudorq; inerat, quasi dominus, cuius causa legibus subiecti viuere volebamus. Praeterea magnitudo terrestrium maritimarumq; copiarum vsque adeo nos exterruit, ut obseruantius nos legibus & magistratibus obsequi & obedire coegerit. Quibus de causis maior inter nos exorta est beneuolentia. Ferme nanque decennio ante quam bellum

Attica de  
mocratia.

nauale in Salamina gestum sit, Datis ipse à Dario missus classem Persicam in Athenienses Eretriosq; duxit. Cui mors à Dario nisi has gentes ditioni sua subiceret, est indicta. Datis igitur ipse Eretrioses breui tempore innumerabili militum copia penitus expugnavit, terribilisque inde rumor ad urbem peruenit nostram, neminem Eretriosum effugisse, sed manibus inuicem milites iunctis, atque ita vniuersa regione Eretriosum circumdata, omnes penitus comprehendisse. Hic rumor seu verus siue non, cum ceteros Gracos, tum vel maxime Athenienses perterruit. Quibus cum vniuersam Graciam passim legationibus missis ad opem ferendam cohortarentur, nemo praeter Lacedaemonios auxiliari voluit. Et isti quidem seu bello quod aduersus Messenae gerebant impediti, siue alia quadam causa, non enim scimus, sequenti post pugnam Marathonicam die opitulaturi venerunt. Post hac magna in dies parare, multaq; minari rex dicebatur. Interea Darius naturae concessisse nunciatur, ac filius eius atrox iuuenis imperium accepisse, nec à captis paternis desistere velle. Cuius apparatus omnes in se conuer ti Athenienses propter Marathonicam stragem credebant. Porro audientes defodi Athon, coniungi Hellepontum, classis immensam magnitudinem cumulari, neq; mari, nec terra salutem sibi fore putabant: praesertim quia in nullius praesidio confidebant: quippe qui memoria tenerent, neq; tunc cum primo illorum ingressu capti Eretrioses fuerant, quenquam sibi opem ferre, & pro eorum salute subire periculum voluisse. Idem igitur tunc terra sibi euenturum putarunt. Mari vero nullam prorsus salutem inueniebant, cum naues plus quam mille adueherentur. Vnam vero salutem quamuis tenui dubiamq; solum modo videbant. Nam cum respicerent quae antea gesta fuerant, & quod desperata salute, tamen vicerunt, hac spe euecti, in seipsis ac dys tantum inuenerunt sibi refugium fore. Haec igitur omnia eos maiori inter se beneuolentia copularunt, praesens inquam metus, & qui à legibus iam pridem inerat, quem seruientes legibus affecti sunt. Hunc saepe pudorem in superioribus nos auimus: cui seruire omnes oportere diximus, quicunq; boni futuri sunt: quo quisquis afficitur, liber est & interritus. Ac nisi praesens ille metus pudori huic iunctus fuisset, nunquam ex hmoi concursione illi prouocati & vna conuenientes, deorum templa, maiorum sepulchra, patriam ipsam, ceterosq; familiares atq; amicos defendissent, ut fecisse narrantur, sed sparsi alius alio abissent. MEG. Probè hospes, ac sicut te patriamq; decet, dixisti. ATH. Vera haec sunt, o Megille. Nam quae tunc gesta sunt, ea par est tecum, qui parentum naturam seruas, referre. Sed & tu & Clinias attentè consideratè, si quae ad legulationem pertinent, dicimus. Neq; n. confabulandi gratia hac enarro. Cuius autem gratia ista dicam videte. Ut scilicet intelligamus idem nobis ac Persis quodammodo accidisse, ad illi quidem in oem seruitutem plebem traherent, nos contra in meram libertate. Quo vero & quid deinceps dicamus, habitam iam verba & comode dicta quodammodo demonstrat. MEG. Probè loqueris. Sed conare quod modo dicebas apertius eloqui. ATH. Faciam. Non erat, o amici, apud nos ex veteribus legibus alicuius rei plebs domina, sed sponte quodammodo legibus seruiebat. MEG. Quibus legibus? ATH. Illis inquam quae de musica posita fuerunt, &

Ut quo pacto libertas hac nimia iam paulatim auclta sit repetamus. Distincta n. nobis tunc per species & figuras erat musica. Fuit q̄ una species cantus ad deos precibus placandos, quos hymnos vocabant. Huic altera cantus contraria species. Querulos hos cantus quis maximè appellaret. Alia species Paon. Alia Dionysij generatio, quam Dithyrambū arbitror appellatā. Erat et alia cātus species, quam leges citharæ dicas nominabāt. His ita que alijsq̄ quibusdā lege statutis non licebat alio genere cātus pro alio abuti. Autoritas aut̄ cognoscendi hac iudicandiq̄, & damnandiq̄ si quis contrā fecisset, nec sibi lo, nec ineptis clamoribus multitudinis, ut modo tribuebatur: nec rursus laudandi licentia plaudenti strepentiq̄ turba, sed præstantibus doctrina viris erat concessa, dabaturq̄ ipsis ad finē vsq̄ magno cū silentio audire. Adolescentes aut̄, paedagogi et plebs uniuersa castigatione uirgæ admonebantur. Hac eū ita ordine fierent, multitudo ciuū libenter parebat, nec audebat tumultuose quicquā iudicare. Tempore deinde procedente autores quidem transgressionis à musica aliena, poeta ipsi fuerūt: qui ingenio quidē ualebant, sed quod iustum atq̄ legitimum in musica esset, non satis obseruabant, debacchantes utiq̄, & voluptatis magis quàm oportuerit, indulgentes. Hi sanē & lugubria hymnis, & dithyrambis paonas coniuuauerūt, Tibiarūq̄ sonos et cantus, citharæ cantibus imitati sunt, omnibus omnia cōmiscerentes. Qui & præter sententiam ex insectia contrā musicā mentiti sunt, asserentes eam quidem nullam rectam in se normam habere, sed audientis uoluptate, siue probus ille uir sit, seu cōtrā, rectissime iudicari. Cum igitur hmoi poemata componerēt, et talia uulgo diceret, iniquū adeo et audax aduersus musicā uulgus hōiū reddiderūt, ut se planē posse suā de musica ferre crederet. Hinc spectacula frequēter exclamare cœperūt, cū silere antea cōsueuissent, quasi quid pulchrū in Musis, quid nō, acute sentirent, atq̄ ita ex optimatū potestate, in prauā theatri potentiā res ipsa desiluit. Si n. popularis potentia solū liberorum hōiū exiisset, nullū utiq̄ magnum incommodum fuisset. Nūc aut̄ ex musica nobis incepti omnium ad omnia opinio sapientia, præuariatōq̄, secuta est & libertas. Intrepidū n. erant, quasi scientes, hac licentia impudentiam peperit. Nempe si melioris opinio propter audaciā non timetur, id ipsum penē pernicioſa est impudentia, quæ à libertate quadam temeraria proficiscitur. MEG. Verissima loqueris. ATH. Hanc libertatem ea licentia sequitur, quæ facit, nec magistratibus subesse uelimus. Ex hac originem habet & illa, per quam patris matrisq̄ & seniorum seruitutem & præcepta contemnimus. Cūq̄ prope transgressionis huius extremum finis legibus quoq̄ parere recusamus. In ipso aut̄ extremo, iusurandum, fidem, & oī no deos negligimus. Vnde ad prisca illā tyrannicāq̄ reuoluti naturam, eadē illa iterū patiemur, duraq̄ secula rursum degemus, nec malorū finē ullum repemimus. Sed cur hæc uobis dicta sunt, repetendū mihi uideatur, ut oratio quasi equus retrahatur ne si os effrenatū habeat dicendi concitā impetu, ab asino, ut pro uerbo ferūt, excutiat. Interrogandum est igitur, cuius causa hæc dicta sunt. MEG. Est utiq̄. ATH. Hæc ergo illorum gratia diximus. MEG. Quorum. ATH. Diximus. Nempe ad tria quadam esse latore legum respiciendum,

ut ciuitas, qua legibus instituitur, libera sit, sibi ipsi amica, & mentem habeat. hæc dicta sunt, an non? MEG. Dicta prorsus. ATH. Propterea duas gubernationū species in mediū adduximus, unam in qua arctissima seruitus, alteram in qua resoluta libertas. Considerauimusq̄ utra recte gubernaretur. Perspeximus aut̄ mediocritate alteri dominandi, alteri libertatis addita, feliciter nimium utraque se habuisse: infeliciter uero, cū seruitus in altera, in altera libertas ad extremum usque peruasit. MEG. Vera narras. ATH. Atqui huius quoq̄ ipsius gratia Dorici exercitus constitutionē considerauimus, et radices montiū Dardani, habitationemq̄ maritimam, primos præerea illos, qui à uastitate diluuij relictī fuerant. horumq̄ causa de musica, de ebrietate, deq̄ prioribus est habita nobis oratio est. Hæc n. omnia ob eam causam dicta sunt, ut intelligamus, quō optime gubernari ciuitas possit, & quo pacto priuatim quisq̄ optime suam uitam disponat. Si uero quicquam operæ precij fecimus, quæ nā nobis ipsis aduersus nos, o Megille & Clinia, redargutio erit? CL. Ego mihi hospes uidere quadam uideor. Peropportune superiora omnia nobis dicta uidentur. His n. ego quodāmodo indigebam. Commodumq̄ ambo, tu dico & Megillus hic, me reperisti. Neque celabo uos quod mihi accidit. Quasi n. augurio his sermonibus confirmatus sum. Maxima profectō Cretensiu pars coloniam deducere quandā cogitat, ac Gnosys eius rei curam cōmittit. Gnosiorum uero ciuitas mihi alijsq̄ nouē uiris id mādaturandum. Leges aut̄ ponere iubet, & quæ nobis ex Cretensibus placeant, & quæ aliunde colligi possint. Edicitq̄ nobis, ne peregrinas leges horreamus, modo probentur. Nunc igitur & mihi & uobis hanc gratiam præbeamus. Collectis undiq̄ legibus, oratione cōdamus ab initio ciuitatem. Sic n. & illud quod à nobis queritur, diligentius considerabitur, & mihi forsitan disputatio hæc ad futuræ ciuitatis constitutionem conferet. ATH. Non bellum indicis, o Clinia. Quare nisi id Megillo incommodum, mea quidem pro uiribus tibi parata sunt. MEG. Probè dicis, ego quoque paratus sum. CL. Optime ambo dixistis. Quare conandum est primum oratione ciuitatem condere.

DIALOGVS QVARTVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVM LATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENTI.



VARTVS hic dialogus, quemadmodum & tres superiores, ac etiam pars quinti prima, in ipso conditoris legum consilio officioq̄ versatur. Huius uero consilium circa ciuitatis materiam atque formam. Materiam inquam, situm, & compositionem, dispositionemq̄ urbis. Formam uero modum publicæ gubernationis & ordinem. At quoniam forma hæc formosa esse nō quam potest, nisi ciuū animi sint formosi, idcirco in formandis à tenera etate, perq̄ omnem uitam suorum ciuū animis legisser inuigilare iubetur. Materiam igitur ciuitatis paucis expedit uerbis, formam uero eius & animorum ipsorum formationem accuratissime tractat, ut potè qui præ animorum dignitate exteriora omnia quamuis amplissima uideantur, nihili pendit. Profectō Plato noster si corp